

De Antepredicamentis. 93

50. Not. 2. per formam, quam abstractum dicitur significare, non intelligitur forma tantum positiva, sed interdum etiam privatio, quatenus in se spectatur, ut subjectum non connotet, e. g. caecitas.

51. Abstractum autem in ordine ad concretum se ita habet, ut eo sit prius, si non realiter, saltem ratione, & quoad nostram concipiendi modum, sicut v. g. divisibilitas, tanquam abstractum, est prius quid divisibili, non re, sed ratione, id est, à nobis in prius quid concipitur.

52. Connotativum, juxta Fons. l. c. cap. 24. est nomen significans aliquid adjacens ut adjacens alicui, e. g. vestitum esse, candidum esse.

53. Dicitur: ut adjacens alicui: quia ad connotativum non sufficit, si significet aliquid, quod in se adjacens est, sed requiritur, ut significet adjacens sub ratione adjacentiae, seu quatenus adjacet, e. g. vestitum esse non significat vestes in se, sed ut adjacent corpori.

54. Absolutum est nomen, quod significet aliquid in se, non ut alicui adjacet v. g. candor, vestis.

55. Differunt à se invicem concretum & connotativum ut latius & angustius: concretum enim est latius connotativò, cum omne connotativum sit concretum, non autem vice versâ omne concretum sit connotativum